

sed scio cur veneris. 3. Exprobat ei, quod osculo eum prodat. Atq; ita Iudam missum facit. Qui enim Christum magistrum tradiderat, iam traditus erat, *Er war schon des Teuffels / darumb läst er ihn fahren.*

Cum Petro verò, qui cōseruari debebat, plurib. agit, multis rationib. ab intempestiua propugnatione eum dehortans, & ad sanio rem mentem reuocans. Rationes dehortationis sunt hæ:

1. *Qui gladium sumit, gladio peribit.* Summa est, seditionem ne moueas.

2. *Non tali auxilio, nec defensoribus istis Tempus eget.* Si enim asserere me vellem & ex hostium manib. vi eripere, alia media & auxilia suppeterent, videlicet Angelorum copiæ, omnib. hominibus fortiores, & præstantiores. Ponit duodecim legiones, numerum finitum pro infinito. Vna legio secundum quosdam habet militum 12000. Ergo 12. habebunt 144000. Iam si vnus Angelus totum, eumque numerosissimum Assyriorum exercitum fundere potuit, vt scribitur 2. Reg. 19. quid non præstarent tot Angelorum copiæ?

3. Si pugnare vellet, vnum verbum sufficere ipsi, quo prosternere, & conficere omnes posset, sicut in primo hostium alloquio id fuisse factum Petrus & ipsi hostes viderant.

4. Facto Petrum refutauit, Malcho auriculam restituendo, quo beneficio quoque hostes suos inexcusabiles magis magisque reddere voluit.

5. Prouocat ad voluntatem, & decretum Patris sui, qui velit, vt poculum illud ebibat, & patiatur, ac propterea non conuenire, vt ipse passionem vel declinet, vel vllò modo se subtrahat. Atq; hoc sensu alibi Petrum, à passione eum dehortantem, Satanam appellauit: *Abscede, inquit, pone me Satana, scandalo es mihi. non enim sapias quæ sunt Dei, sed quæ sunt hominum.* Matth. 16.

23. Atque hæc verborum prælectorum est analysi, ex quib. porrò in doctrinam nostram obseruabimus:

1. *Peregrinum videri nobis non debere, si videamus eos, quibus nos benefecimus, nobis infidos esse, nostramque fidelitatem, & bene-*